



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

SS. Barlaam Et Iosaphat CC. 27. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

nec alius dici quàm esse vellet. Habuere momentum literæ, amore dictante & lacrimis suggerentibus atramentum scriptæ, & recepit meliorem mentem IACOBVS, palamque Christianum iterum se confessus, novem horarum carnicinâ, manuum primò pedumque articulis, tum brachiis surisque, ultimò capite truncatus atrum factum nuperum omni sanguine obliteravit. Ex Niceph.

SS. BARLAAM ET IOSAPHAT
CC. 27. *Novembris.*

ETiam Indis pulchra jam olim fuit, Ejuventus. Princeps hujus memoratur IOSAPHATVS Regis Abenneris filius, voluptatibus ab ipsis cunabulis innutritus, & ne, quid miseria humana esset, vel nosse posset, procul ab oculis aliorum, inter omnes illecebras educatus. In tam blando carcere agentem adiit BARLAAMVS Eremi incolam gemmarum Mangonem præferens. Certè nobilissimam illi gemmam fidem vendidit. Mox cum deambulatum produxisset cupidum, in homine primum mendico, tum leproso, in decrepito denique sene ad eum diem nunquam visis, mundi vultum & ementitum colorem, velut in minimè mendaci speculo ostendit. Laborabat itaque necquicquã parens, vel ad Deos filium,

vel ad voluptates iterum abducere. Frustra absente BARLAAMO nescio quis impostor, qui vultum huius quam simillimè referebat, alia velle docere aggressus est; cum ita Numine volente palam pro Christo loqui lingua subdola cogeretur. Frustra & Theodas Magnus ab orco auxilia evocavit, & regina puella blanditias admovit, cum IOSAPHATVS ostensis ab Angelo cælitum & inferorum sedibus, pluris orci penas, quam minas, pluris cæli gaudia, quam carnis fallacias faceret. Tandem in meliorem sententiam cum patrem etiam abduxisset, hoc mortuo, regnum alteri cessit, & quam inter homines minus poterat, inter feras Angelicam vitam, annos V. supra XXX. vixit. Accipit tamen tumulum cum magister suo in regiam urbe, cui tunc primum mortuus videbatur, cum ille jam olim fuisset. *Ex Ioan. Damasceno.*

S. STEPHANVS MART.

28. Novembris.

STEPHANO huic tempora cognomen Iunioris fecerunt. Natus est post votum VIRGINIS imagini, quæ Blachernis colebatur, à matre factum. Monachus non tamen Reipublicæ profuit. Pugnavit è latebris suis fortissimè in communem Divorum hostem Copronymum; tum præcipuè cum